

DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA
SISTENS DISQUISITIONEM
*AN SALOMO IDOLOLATRIÆ
FUERIT DEDITUS?*

Cujus

PARTEM PRIOREM

Conf. Ampl. Fac. Phil. Reg. Acad. Aboëns.

Publico Examini modeste offerunt

ADOLPH. ROBERTUS HJELT,

Theol. Doc. & Vice Not. Conf. Eccl. Ab.

&

JACOBUS ÖSTERBLAD,

Ostrobotniensis.

In Aud. Phys. d. IX Dec. MDCCCVII.

H. a. m. c.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.



Regum omnium, quos historia gentis Judaicæ commemorat, haud facile reperies quemquam, cujus de fama sententiarum divortia, omni fere tempore, tam diversa fuerint, quam de Salomone. Alii enim cum illius laudandi modum nescirent facere, alii in illo vituperando non fuere pauciores. Vituperii autem ea in primis causa fuit, quod proventa demum ætate ab antiqua virtute & fide patrio-que Dei cultu in foedam idololatriam inciderit. Quam inopinato hæcce res evenerit, dici vix potest. Equidem hoc verum est, quod iisdem temporibus idolorum cultus communis fuit tam subditis, quam imperantibus; & si gentem Judaicam excipias, quæ tamen sæpissime se ad idololatriam præcipitem dabat, nullum sane invenies populum, qui non eandem foveret superstitionem. Verum enim vero, qui educationem Regis hujusce exquisitiorem & laudatam ante actæ vitæ probitatem, nisumque in cultu Jovæ procurando plane singularem secum reputave-

taverit, simulque perpenderit illum non vulgari sapientia fuisse ornatum, is, legens Salomonem tantæ insipientiæ se reum fecisse, ut cultu religioso vana gentilium idola persecutus fuerit, haudquaquam poterit, quin indignatione rei percussus, alio quamvis consilio, adnuat Juliano Apostata: *ἔχι ὁ Σαλομων ἄτος (dicenti) τοῖς ἡμετέροις ἐλάτρευσε Θεοὺς, ὑποτις γυναικος, ὡς λεγουσιν, ἑξαπατηθεὶς; - - - ἕπερ ἂν ὑπο γυναικος ἡπατηθῆ, τῆτον σοφον μὴ λεγετε· εἰ δὲ πεπιστευκατε ἐνταυ σοφον, μὴ τοι παρα γυναικος αὐτου ἑξαπατησθαι νομιζετε* Cyrill. Alex. Libr. VII. contra Julian. p. 224. Atque haud scio annon satis ad rem accommodata hoc dictum sit. Nam si vel aliquatenus Salomo ea prævaluisset sapientia, qua fama illum floruisse fert, fas utique est credamus, cogitandi rationem viri sagacissimi non potuisse eam subire metamorphosin, ut præceps in polytheismum rueret. Negari quidem nequit, sapientes gentilium cultui idolorum fuisse deditos, sed eorum conditio alia fuit, alia Salomonis. Hic enim in gente natus, cujus religio summi Numinis venerationem sancte observandam injunxerat, cultumque idolorum prohibuerat, mature jam & viva mentis persuasionem, & officio simul e religionis sacris principiis derivando, ducebatur ad Jovam solum colendum. Plurimi autem philosophorum veterum omnibus fere meliora sapiendi subsidiis destituti, longisque anfractibus coacti ad clariorem rei tam abstrusæ cognitionem ascendere, intricatum illud de existentia & natura unius

unius Dei problema, vel non perspiciebant, vel adhuc multis ambiguitatibus obsitum, in liquidum adeo non erat perductum, ut sufficientibus rationibus sibi potuissent perspectum reddere, esse unum solummodo hujus universi Moderatorem, quem præter neminem cultu religioso esse prosequendum crederent. At si vel concedamus, unum aut alterum eorum nexum hujusce rei perspicere valuisse, difficile tamen his erat penitus exuere superstitionem, quam ab incunabulis inde longa annorum serie sibi contraxerant; neque publice eam spernere licuit; quippe quæ sancta fuit genti, inter quam versabantur, & civitatis legibus intime conjuncta valuit. Cum igitur videmus hos ipsos viros ad publicas aras suffimenta numinibus attulisse, necesse est, ut non tam his eorum factis inhæreamus, iade de eorum cogitandi ratione philosophantes, quam potius in animum revocemus, illos fuisse coactos suæ gentis cultum religiosum, ritusque sacros publice sanctos observare. Probe namque perspexerant statores civitatum, legumque latores omnes, nullam posse rempublicam sine religione bene regi; quare optimus quisque morem gentis suæ in his rebus vel invitus sequi debebat, religionemque civitatis publice saltem servare, si modo jurium civitatis particeps esse vellet (a).

A 2

lomo-

a) Socrates quidem ipse, qui sobrie admodum de natura

lomone longe alia erant, cum cultu idololatrico ne vel minimam utilitatem sibi comparare posse videretur. Gloria namque maxima circumdatus, tanta omnium rerum copia affluebat, ut in his illi accessio quædam vix contingere posset.

His igitur de causis, cum operæ pretium esse duxerimus, hanc de Salomonis ad cultum idolorum inclinatione quæstionem examini subicere, miti tuæ B. L. censuræ specimen nostrum submittimus, læti si vel quasdam contigerit nobis nubes dispellere, quibus fama hujusce Regis obducta est, cujus facta, si non omnia digna, quæ imitanda proponantur, tamen genio ætatis suæ convenientissima, genti suæ maximam laudem & commoda conciliarunt per longam sæculorum seriem perpetim celebranda.

§. I.

Dei disputavit, (ut testis inter alios est XENOPHON *Memor. Libr. I. Cap. IV. com. 18.* ubi inducit differentem de τῷ θεῷ, ὅτι τὸ σθετὸν καὶ τοῖσιν ἐστίν, ὡς δ' ἄμα πάντα ὄραν, καὶ πάντα ἀκρῆν, καὶ πανταχθ παρῆναι, καὶ ἄμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι αὐτῆς. alia loca ut prætereamus) rogatus, eodem XENOPHONTE affirmante *Memor. Libr. IV. Cap. VI. c. 2.* an liceret Numina colere, quo quisque vellet modo, fertur respondisse, hoc ad leges civitatis esse faciendum. Quam thesin functa magni hujusce viri mors fatis confirmavit,

§. I.

Occasionem huicce fovendæ opinioni de idololatria Salomonis proximam sine dubio præbuit I. Reg. XI. v. 4-5. coll. v. 33. ubi putarunt perhiberi, eum amore mulierum suarum seductum (a) in senectute ad peregrinos Deos colendos inclinasse, nec perrexisse in ea animi integritate in Jovam Deum suum, qua Pater Ejus Davides insignis fuerat, sed Jova relicto, Deos in primis Sidoniorum & Ammonitarum esse sectatum. His de causis, & cum humanum ingenium, vulgari quadam in magnos homines invidia proclive esse solet ad ea arripienda, quæ ipsis labem quandam aspergere videantur, eo facilius etiam fidem sibi conciliavit sententia de Salomonis idololatria, quo clarius & expressius v. 6. adjicitur, illum ea re Jovam graviter adeo offendisse, ut iratus Salomoni apparuerit Jova vetans, ne alios Deos sectaretur, atque ulterius v. II. affirmatur, regnum Israeliticum hac nominatim de causa in duas partes iri divisum. Unde demum evenit, ut vulgaris apud omnes fere tam rerum Vet. Test. scriptores, quam interpretes S. Codicis etiam celeberrimos, nata sit opinio, Salomonem criminis idololatriæ se reum fecisse (b).

Per

a) Hæc ad versionem JOAN. AUG. DATHII Latinam Ed. Hæke 1784 expressimus.

b) Inter omnes quos quidem nobis inspicere contigit scri-

Per se quidem patet, quod & quisque concedat necesse est, Salomonem, si etiam cultu deorum gentilium se polluisset, non crassio rem illum, cui adhaere-

ptores hujus rei, solus JOAN. ZVINGERUS in Tractatu de rege Salomone peccante Bas. 1696, & G. L. BAUER in Beylagen zur Theol. des Alt. Testaments, enthaltend die Begriffe von Gott &c. negant Salomonem reapse cultum idolis exhibuisse religiosum. Hic p. 152 sic habet: — Sein Götzendienst? war nicht Götzendienst von Seiner Seite, sondern Toleranz. In seinem Zahlreichen Harem hatte er auch viele ausländische Weiber, — diese verließen nicht ihre alte Religion und Aberglauben; sie hingen den Götzen ferner an, zu deren Verehrung sie von Jugend auf waren angewöhnt worden. Sie baten daher ihren Gebieter das er ihnen Religionsfreyhet gestatten möchte, und alles was er that, war, da er ihnen hierinnen, freylich entgegen der Landesconstitution, aber nicht der Ueberlegung eines Vernünftigen Mannes, aus gefälligkeit nachgab, und ihnen hohen und Altäre bauen liefs, auf denen sie nach Herzenlust ihren Göttern dienen konnten.

Die Orthodoxen seufzten darüber, und betrachteten den, nach seinem Tod, erfolgten Abfall der 10. Stämme von seinem Sohn, der durch seine Unklugheit und Despotismus diese Lection verdiente, als eine Strafe Jehovahs für den gestatteten Götzendienst; und unsere Historiographen ermangelte nicht dieses Unglück, wie alle Uebel des Staats und des Könige in der Folgezeit, als folgen der Verstoffe gegen die Orthodoxie zu verschreyen.

hærere solebat vulgus, ipsum idolum tanquam Deum suspiciens, amplecti potuisse; ipsam autem rationem illius cultus, cum declararent scriptores, qui de Salomonis idololatria egerunt, non omnes eandem de hac re foverunt sententiam. Alii enim Salomonem revera ad cultum falsorum deorum fuisse prolapsum adfirmant (c); quorum nonnulli ex philosophicis quasi rationibus hunc Salomonis lapsum deducere conantur, autumantes illum Jovæ cultum non quidem plane deseruisse, sed manca quadam cognitione de natura Dei, rerumque nexu perductum, juxta Jovam infinite omnia superantem, etiam alios tanquam Deos minorum Gentium, vel genios quosdam, qui medium quoddam Deorum genus inter Jovam & homines constituerent, quibusque cura rerum humanarum, supremo illo Numine minus dignum, competeret, coluisse (d). Alii autem illum
 blan-

c) E patribus ex. gr. JUSTINUS MARTYR; vid. *libr. contra Tryphonem Judæum* variis locis. Hunc deinde secuti sunt ex antiquioribus haud pauci ut CHEMNITIUS, HEIDDEGER, PINEDA &c. qui non tam indolem facti declarare studuerunt, quam in dogmaticis quæstionibus de conversione & salute Salomonis excutiendis potissimum verfati sunt.

d) Huc referrem plerosque, qui recentiori ævo vel introductionis in *libr. Sacr. V. T.*, vel Characteres personarum in Bibliis obviarum edidere. Inter alios nominemus AUG. HERM. NIEMEYER *Charakteristik der Bibel* IV. Th. Halle 1779 p. 561 sqv. BERGER *Einleitung in das Alt. Test.*

blanditiis foemineis ad sacrilegia hæcce compulsum, putant externæ magis necessitati paruisse, quam errore quodam credidisse idolis esse serviendum (e). Ceteros hujusce rei illustrandæ conatus, qui partim ad allatas sententias accedunt, partim ea omnino probabilitate caruerunt, ut placerent (f), non est ut jam pluribus recenseamus.

§. II.

Quamcunque autem harum sententiarum amplectaris, vereor ne firmis solidisque fundamentis destituta sit. Primam igitur, qua statuitur Salomonem revera ad Polytheismum ita deflexisse, ut Jovam quidem tanquam supremum Numen, ceteros autem
ut

Tom. II. p. 374 sq., WILH. MARTIN LEBRECHT de WETTE *Beyträge zur Einleitung in das Alt. Test.* p. 240 &c. Etiam interpretes haud pauci, ut MICHAELIS, DARTHE &c. hanc sententiam amplexi esse videntur.

- e) Antesignanus hujus sententiæ est AUGUSTINUS; vid. Tom. V. Libr. 14. de civitate Dei cap. II. p.m. 776 &c. Inter recentiores haud paucos quoque ille habuit assecclas.
- f) Talia jactitant, qui Salomonem Atheum omnis Dei existentie adversarium faciunt, vel qui illum Pyrrhoni similem in omnibus sceptica levitate dubitare volunt.

ut genios quosdam tutelares coluerit (a), quod attinet, verum quidem est ejusmodi systema quadantenus philosophicum nonnullis mirifice placuisse; illud vero Salomoni arrisisse, vix credere sustinemus.

B

Hic

- a) NIEMEYER l. c. p. 561. de hac re sic effatur: Man hat die Quelle seines (Salomonis) Irthums fast mer im Herzen gesucht. Bey einem Charakter wie der Seine, kan aber der Verstand unmöglich davon ausgeschlossen werden. Es wäre fast zu verwundern, wenn ein Geist mit so viel Erkenntnißdurst, ein solcher, ernster, kalter Denker, wie wir Salomo in seiner Predigen kennen lernen, immer ruhig geblieben wäre, und sich, zumal in seinem Zeitalter, nie in Irrgängen der Zweifelsucht verlohren hatte. Die Religion seiner Väter gewiß war sie für das Bedürfnis des Volks, dem sie gegeben ward, vortreflich; — — aber ganz anders erschien sie doch einem Denker wie Salomo, der über das Wesen der Dinge raisonirte, der sich oft in tiefen Speculation verlohrt — — (Cum autem hæc religio illi minus sufficeret, veriorque alia tum nulla adesset, non mirum si sibimet ipsi relictus, diu multumque dubius hæserit, quid crederet). Endlich wählt er, — und welches ist sein Wahl? Mich dunkt, zuerst sollten wir es nicht geradehin Abfall nennen! Die Bibel nennt es weit bestimmter: "Sein Hertz war nicht ganz mit Jehova, er theilte die Ehre Jehovahs mit andern Göttern." Salomo verleugnet also nicht den Väterlichen Gott, spottet nicht der Religion Mose, stört die Israeliten nicht in der Abwartung seines dienstes, opfert ihm wahrscheinlich selbst noch. Aber darin hört er auf ein rechtschaffener Israelit zu sein, das er diesen Jehova nicht mer für den ein-

Hic enim præceptore usus Nathane (2. Sam. XII. 25.), gentis suæ propheta longe celebri, & a pueris inde diligentissime institutus in religione patria, quæ Jovam solum & unum Deum constituit, coeli terræque Creatorem, Moderatorem, & Governatorem optimum maximum, non potuit non hac adjunctus institutione, hisque ductus præceptis, quæ patris admonitionibus & exemplis altius inculcabantur, ingeniique sui felicitate evehctus, ad earum rerum cognitionem, quæ ad religionem pertinent, multo amplioem pertingere, quam quæ arctis plebejæ intelligentiæ limitibus circumscribi posset. Docet quoque id oratio ejus in solempni templi Hierosolymitani inauguratione habita, cujus fragmentum 1 Reg VIII. reperitur. An autem hæc Salomonis de summo Numine cognitio, quam primis annis imbiberat,

altos

zigen obersten Weltregierer hält, sondern für einem National Gott, neben dem man die National Gottheiten anderer Völker verehren könne. Er ist folglich in dem Sinn Abgötter, in welchem es die weisen Griechen und Römer waren. Er weiß wohl, daß die hölzernen und ehernen Bilder nichts sind, aber er verehrt in ihnen die Geister, welchen der Hoherhabene, Unerreichbare, Unerkennbare die Herrschaft über Welt anvertraut hat. Je gewisser diese Idee aus Morgonländischer Quelle fließt, desto wahrscheinlicher ist, daß Salomo in ihr Auflösung seiner Zweifel, ob auch der Weltshöpfer sich um das Kleine bekümmere und die Schichfale jedes einzelnen Volks bestimme, zu finden glaubt."

altos satis in animo ejus egerit radices atque tanti sit æstimanda, ut omnem omnino de aliis diis persuasionem, eorumque cultum excuderet, multi dubitarunt, contendentes nos ad communem istius ætatis cogitandi rationem de natura divina ex eo, quo jam imbuti sumus sensu, male concludere. Atque ad hanc rem probandam provocant ad 1 Reg. III. 2. ubi traditur populum Judaicum adhuc in regni Salomonis initiis sacrificasse in locis editis, atque idem fecisse Salomonem. Omnis autem hinc deducta argumentandi vis, si rem rite pensitemus, non multum valet. Collato enim ad hæc 2 Chron. I. (b) intelligimus, excelsum illud in Gibeone celebratum potissimum fuisse, quia ibi reservabatur arca foederis, ad quam Judæi in primis sacrificia sua peragere debebant (c). At si in aliis etiam locis editis sacrificassent, quid impedit, quominus in iis potuissent Jovam solum venerari? Nulla sane necessitas cogit nos, ut eadem loca idolis consecrata habeamus, neque concludere licet, cultum idololatricum

B 2

cum

b) Hujus loci vim variis argumentis infringere studet WETTE l. c. p. 103 sq. dicens eundem ad Salomonis excusationem esse effictum; concedit tamen alia occasione p. 197. Salomonem in excelsis sacrificantem etiam cultum Jovæ potuisse præstare.

c) Cfr. MICHAELIS *Jus Mosaicum* Tom. IV. § 128. p. 53 sq., G. L. BAUER von d. *Gottesdienstlich. Verfassung d. Alt. Hebr.* II. B. p. 3 sq.

cum tum apud Judæos viguisse. Scriptor quoque facer expressis verbis huic dubio occurrens dicit, templum Jovæ nondum fuisse extructum, & addit Salomonem præcepta Jovæ observasse, quemadmodum David. Nam הלך בחקות דוד & מלא שמו את כל דבר דוד idem omnino est, ac שמו את כל דבר דוד vel הלך לפני יהוה &c. sive solum Jovæ esse cultorem ut fuit Davides.

Sed si vel concedatur, Salomonem Jovam solum coluisse, tamen ab altera parte de causis idololatriæ ejus disputantes, nominatim NIEMEYER loco allato, ita de Jova sensisse fingunt, ut non unicum illum supremum coeli & terrarum crederet esse Deum, sed solummodo Israëlitarum tutelare numen. Verum enim vero, ut ab una parte moneri potest, nos non debere nimis attollere sentiendi rationem istorum temporum, neque ad eam, qua jam gaudemus, ipsam exigere, ita ab altera nec studeamus omnes ideas ejusdem ætatis, quamvis rudiores sint, penitus attenuare & parvi habere. Quare si etiam occurrant in libris Regum & Chronicorum loca, quæ Jovam tanquam tutelare Numen Israëlitarum proponunt, quis tamen, nisi partium studio opinionibusque præconceptis seductus, velit contendere, cetera quoque omnia in his libris, ubi mentio de Jova fit, ad istum rudiores sensum esse contorquenda. Sic saltim ea, quæ 1 Reg. VIII. continet momenta multo sublimiorem de Jova spirant notionem, & aperte

aperte indigitant, Salomonem, ut in aliis, sic in divina rerum scientia, rudiores plebis captum longe excessisse. Quod si in hac quoque oratione Jova vocetur numen Israëuitarum, id nemini justo rerum aestimatori mirum videbitur. Loquens enim Salomo in concione frequentissima, solis Israëliticis hominibus circumseptus, non potuit non ea potissimum recensere benignitatis documenta, quæ & eodem populo dudum contingere, & adhuc speranda erant. At quamvis sic Jovam Israëuitarum in primis Deum vocat, tamen confirmat illum esse Deum, cui nemo (v. 23) nec in coelis, nec in terris similis, quem nec (27) coelum, nec coeli coelorum capiant, qui solus hominum mentes perspiciat (v. 39) & hominibus, quacunque de gente sint, opitulari velit variis in vitæ hujus miseriis, atque solus (v. 60) Deus sit, nec alius ullus (d). Si igitur ne-

gari

- d) Multis utique claris oraculis hanc ulterius possemus probare rem, si ad ea recurrere liceret scripta, quæ Salomonis nomine venditantur, sed ne nimis longi videamur, illis superfedemus, ne in nosmet simul fuscipiamus onus probandi quatenus scripta illa a Salomone revera sint exarata, quod nostri jam non fert instituti ratio. Possunt tamen de ea re consuli L. G. BAUFERS *Theologie des Alt. Test. oder Abriss der Religiösen Begriffe der alten Hebræer von Ältesten Zeiten bis auf den Anfang der Christl. Epoche* p. 9—74. & EJUSDEM *Beylagen zur Theologie d. Alt. Test. enthaltend die Begriffe von Gott und Vorsehung nach verschiedenen Büchern entwickelt* p. 154—155. KLEUCKER l. c. p. 136.

gari nequit, Salomonem sibi cognitum habuisse Jovam tanquam supremum Numen, & simul agnovisse illum solum colendum, vix probabile videtur, ut postea, maturiori nempe & cogitandi ratione præditus, & pleniori rerum cognitione imbutus, priorem illam, quam adolescens comprobaverat fidem missam faceret, & alii huic maxime contrariæ assensum præberet, verioremq; de Dei natura persuasionem cum falsa commutaret. Juvenili quidem percitus affectuum æstu & sophismatum laqueis irretitus, quibus immatura ætate vel non valet, vel non curat se expedire, homo sibimet ipsi relictus & incertus quid tandem credere oporteat, potest vana male philosophantium somnia amplexari; imo veritatum de Deo propositarum nexum quærens, in vastum dubitationum pelagum incidere & jam hæc, jam illa opinionum commenta sua facere, sperans se eorum auxilio ad finem portumque optatum pertingere, jam autem, iis deceptus alia arripere placita, quæ denuo mox respuat. Vita autem ad exitum vergente, inconstantia sensualityque vi minus obnoxii ad accuratiorem de religione cogitandi rationem sensim ducimur, saltim ægre a pristina fide ad aliam novam amplectendam perducimur. Ea nempe est mentis nostræ constitutio, ut cum aliquando vel assidua juvenili institutione, vel frequenti quodam maturioris ætatis studio, se ad aliquid cogitandum & judicandum applicuerit, his ita advescat, ut deinde se ab illis difficillime abduci patiatur.

Qui

Qui igitur putemus Salomonem eo dementiæ fuisse prolapsam, ut & Jovam & alia juxta illum Numina coli posse crederet? Fingunt quidem Salomonem de Deo & regimine hujus univrsi philosophantem, cum bene perspiceret, Jovam esse infinite omnia superantem, facile sibi persuasisse, illum non occupatum esse regimine hujus univrsi fatisque hominum minimis moderandis, sed totum hoc negotium aliis numinibus sibi subjectis detulisse, quæ etiam cultu religioso digna judicaverit (*e*). Quam incommode autem hoc sit ad cogitandi rationem istorum temporum apud Judæos vulgarem fictum, quisque harum rerum vel tantillum expertus facile perspiciat; quin & illa ipsa oratio, quam pluries jam laudavimus rem extra omne dubium ponat. Ac nescio sane quid eum ad talem cogitandi modum induceret. Nam si aliquando illum rapuisset ingenium sublime ad philosophandum de his rebus (*f*),
tamen

e) Cel. NIEMEYER loco allato Not. (*a*) duas conjungit ideas, quæ vix cunjungi posse videntur. Præsupponit scilicet primum, Salomonem cogitasse Jovam tanquam Iraelitarum tutelare numen de minimis etiam sollicitum, & mox illum longe maximum omnium facit, cui rerum humanarum cura minime convenit. Quæ notiones cum multum sibi repugnare videantur, seorsim illas examinandas duximus.

f) Equidem in hac ut in multis aliis rebus permagna opinio de Sapientia Salomonis seduxit scriptores ad varia

tamen recurreus ad historiam factorum populi sui,
 qualem

figmenta. Fuit nempe tempus, quo חכמה Salomonis putabant comprehendere cognitionem rerum omnium divinarum & humanarum certam, & solidam; tantam, verbo, quantam ullus mortalium suo studio labore & industria assequi possit, cum qua simul conjunctam statuerunt facultatem recte de omnibus judicandi. Vid. LUNDII *Dissertat. de sapientia Salomonis Resp.* FR. SWAB Ed. Upf. 1705. JOAN. SCHÜTZENS *Apparat. Nomin. Propr. Bibl.* Tom. IV. p. 552 sqq. & KLEUCKER l. c. p. 146—162, ubi nonnulla de Panfophia, Tauturgia & Magia Salomonis commenta recensentur. Sed dudum & merito hæc sententia explosa est, aliterque jam & sobrie magis de sapientia Salomonis judicatur. Nobis quidem videtur, Salomonem felici & sollicitiori cura exculto ingenio præditum, acri præprimis valuisse judicio, prudentiaque experientissimi patris & institutione & exemplis eximie confirmata. Hinc cum ipse litteras felici successu coluerit & artibus variis liberalibus admodum delectatus fuerit, culturam quoque gentis Judaicæ ad fastigium evexit, quod nec ante illum unquam attigerat, nec post illum sustinere valuit. Cfr. EICHHORNS *Einkleitung in das Alt. Test.* Dr. Aug. 1 Th. p. 12. Quisque simul facile videt, etiam ædificationem templi Hierosolymitani magnificentissimi, liberalem ejus dotationem urbisque decorationem multum laudis ei conciliasse, quæ dein cundo, accedente fama etiam aliarum rerum præclare gestarum, crevit, longe lateque tanto magis celebrata, quanto rarior hæc exquisitior cultura Judæis contigerat, quantoque pauciores historia eorum imprimis temporum Reges commemorat, qui cum illo comparari possint. Cfr. BERGER l. c. Tom. p. 262 sqq. & NIEMEYER l. c. p. 228—255.

qualem ille eam & potuit & debuit cognoscere, & circum se oculos conjiciens etiam invitus rapi debuit ad pristinam faniozem fidem amplectendam. Vel num quis serio sustineat credere, Salomonem hunc de Jova cogitandi modum sanæ rationi magis consentaneum, quam quem & juvenilium annorum institutio & populi sui religio menti ejus instillaverat, approbasse? Quod quidem nobis haudquaquam videtur probabile.

Sed jam ad sententiam eorum progredimur examinandam, qui putant Salomonem magis externa quadam necessitate actum, quam firma de rei honestate persuasione permotum, cultum exhibuisse idolis (g). Videtur quidem hæc opinio, primo fal-

C

tim

g) KLEUCKER l. c. p. 115. in hunc modum de hacce re disputat: Salomo machte sich kein Gewissen daraus, für seine Weiber besondere Altäre anzulegen, wo sie ihren Göttern dienen konnten, weil sie von ihrem Götzen-dienst nicht ablassen wollte - - - Dafs er sich bey den genannten Gottheiten etwas den Jehova ähnliches gedacht habe, wird wohl niemand vermuthen so schwach er auch im Alter gewesen seyn mag. Den Jehova kannte er aus eigenen Offenbarungen, die er wenigstens dafür hielt, aus der Lebensgeschichte seiner Urväter, und aus der Gesetzgebung Moses, und aus lauter solchen Thatbeweisen, deren kein ausländischer Gott sich rühmen konnte. Desto gewisser hingegen ist es, das er jene Altäre der Götzen *nicht nur selbst anordnete und duldet,*

tim obtutu minus dura ac Salomonis cogitandi & agendi rationi convenientior, sed nec illa suis caret difficultatibus. Etenim si Salomoni persuasum fuisset, nullum esse Deum præter Jovam, ceteros autem omnes venditatos deos commentitios esse & superstitiose fictos, quos tamen nihilominus coluisset, cultum hunc sine dubio adiaphorum plane habebat, quem turpem errorem Salomoni tribuere haud licet. Nam ut taceamus amentis potius quam sapientis esse, implorare benevolentiam Deorum, quos nullos esse bene nosset & honorem solius Dei fictis exhibere Numinibus, illum neque latere potuit gentis suæ Religionem legesque ejusmodi idololatriam severe prohibuisse, summis tantæ impietati constitutis suppliciiis (*h*). Et quid quæso ipsum tantæ temeritatis reum reddere valuisset? Dicitur quidem mulieres peregrinas mentem ejus ad idola colenda deflexisse. Qui autem meminerit, duriorum semper foeminarum esse conditionem in orientalibus terris, humilioremque quam ut dominium quoddam in maritos suos

*sondern seine Weiber auch dahin begleitete, und aus Ge-
falligkeit wohl mer als ein handvoll weihrauch mit ge-
strecuet hat.*

h) Cfr. MICHAELIS I. c. V. Th. p. 100. §. 245. ubi docet hoc idololatriæ genus quam maxime horrendum fuisse.